



**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

cxxxvi [i.e. iv]. Determinatur hic concursus à creatura ad speciem actus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

cum non oriatur ex objecti confusa representatione. Neque supervacaneum est, Deum offerre concursum ad illam partem, ad quam scit, creaturam se non determinaturam; praeterquam enim, quod id ad salvandam libertatem sit necessarium, Deus non offert suum concursum, post prævisam absolute determinationem creaturæ.

IV. Concursus hic Dei in actu primo indifferens determinatur dein à creatura, sive ea libera sit, sive non, ad speciem actus; ex duabus enim causis, quarum una est universalis, indifferens, utpote alteri attemperata seu applicata per voluntatem præviam, adeoque nec proximè libera, qualis est causa prima respectu causæ secundæ, tam liberæ, quam necessariæ; altera vero est particularis & vel proximè libera siquicunque determinativa, utpote quæ habito seu oblato concursu alterius potest agere & non agere; vel certè ex natura sua determinata ad talis speciei effectus, qualis est causa secunda, tunc censetur determinari causa universalis, id est, ratio, quare hic specie effectus præ opposito specie effectu procedat, non refunditur in universalem, sed particularem. Neque sic Deum à crea-

creatura determinari dedecet , cùm non determinetur ex necessitate aut indigentia, sed quia liberrimè vult sic determinari. Neqùe hìc valet argumentatio : omnis creature procedit à Deo , determinatio ut determinatio est creature : ergo procedit à Deo ; quia committitur fallacia figuræ dictio[n]is, qualificando aliquid in minore, quod qualificatum non erat in majore , uti etiam fit in hoc syllogismo : *quidquid emisti comedisti , carnes crudas emisti, ergo* : de cætero utiqùe res, quæ est formalis determinatio, est creature , & procedit à Deo simul & creaturâ.

V. Determinatur vice versa creature, tam libera, quam necessaria à Deo ad individuum actus, sive Deus ratio est , cur procedat hoc individuum præ alio omnino simili ejusdem speciei ; causa enim secunda, cùm omnia individua ejusdem speciei possibilia non discernat , ad hoc præ illo producendum se nequit determinare, & consequenter ad hoc libera non est , et si libera sit ad ponendum hoc individuum præ oppositæ speciei individuo. Neq; etiā ad hoc determinatur à natura constitente certam seriem individuorum ordine producentorum ; hoc enim absq; fundamento.